

tuor esse elementa, desumitur a qualitatibus primis, quas dicit Aristoteles 2. de Generatione esse quatuor, duas videlicet actiuas, nempe caliditatem, & frigiditatem: Duas vero passiuas, nimirum siccitatem & humiditatem. Est autem ratio talis. Tot sunt elementa, quot sunt combinationes harum quatuor primarum qualitatuum possibiles, id est, quot modis primæ hæc quatuor qualitates inter se possunt vniri, seseque in utro compati, vt loco citato ait Aristoteles: Atqui sunt solum quatuor combinationes possibiles, igitur & quatuor erunt elementa. Minor patet, quia ad summum inter quatuor illas qualitates, si binas semper sumpserimus, sex tantum fieri possunt combinationes, Videlicet Caliditatis cum siccitate, ex qua constituitur Ignis, qui calidus est in summo gradu, siccus vero in remisso gradu: Humiditatis cum caliditate, ex qua habemus aerem, qui summe humidus, remisse autem calidus existit: Frigiditatis cum humiditate, ex qua philosophi aquam colligunt, quam frigidam dicunt in summo, humidam vero remisse: Siccitatis cum frigiditate, ex qua terra conficitur, quæ in summo sicca, frigida vero remisse esse predicatur; Caliditatis cum frigiditate: et Humiditatis cum siccitate; Sed quoniam duæ hæc combinationes impossibiles sunt, cum sint contrariorum, quorum ea est natura, vt vnum alterum semper expellat; Neque enim vna, eademque res numero calida, & frigida; neque humida simul ac sicca esse potest; idcirco inutilis censentur, neque quicquæ ex eis constitui potest. Has autem omnes combinationes luce clarius in figura proposita conspiciuntur,

QVONIAM vero diximus, inter quatuor res non posse fieri plures combinationes, quam sex, si binæ tantum semper sumantur, visum mihi fuit paulo vberius explicare, quotnam combinationes huiusmodi fieri possint inter quotcumque res propositas; Ad multa enim cōducit huiusce rei notitia. Proposito ergo numero aliquarum rerum, multiplicetur is per numerum vnitatis minorem, Nam producti numeri medietas indicabit numerum combinationum, quæ fieri possunt inter res propositas. Vt in proposito exemplo, quoniam sunt quatuor qualitates primæ, multiplicentur 4. per 3. efficiunturque 12. quare sex combinationes inter ipsas fieri possunt. Quod si fuerint quinque res combinandæ, Multiplicentur 5. per 4. & producti medietas, nempe 10. ostendet numerum combinationum, quot videlicet Porphyrius inter quinque, predicabilia instituit. Potest hæc regula tradita in duas distribi, prout scilicet